31

# INDULTUM

In quo Gubernatoribus, & Deputatis Regiæ Ecclesiæ, & Hospitalis Sancti Antonii Nationis Lusitanæ de Urbe, quamdam Taxam super Mensarum Patriarchalis, Archiepiscopalium, Episcopalium, & Abbatialium; aliorumque Beneficiorum Regni Portugalliæ respective fructibus, & super quibuscumque Gratiis, tàm sub Plumbo, quàm in forma Brevis, per Datariam, & Cancellariam, seu Cameram Apostolicas, ac Secretariam Brevium Apostolicorum aliaque Tribunalia, & officia expediendis, exigendi, nec non pro exactione hujusmodi duos Collectores, seu Receptores insòlidum deputandi facultas conceditur.









ROMÆ, MDCCXXXIII.

Ex Typographia Rev. Cameræ Apostolicæ.

# CLEMENS EPISCOPUS

## SERVUS SERVORUM DEI

## Ad Perpetuam Rei Memoriam.



Upientes universo Terrarum Orbi, præsertim vero Almæ Urbi nostræ quæ per Apostolorum Principis Beati Petri Sedem Civitas Sacerdotalis effecta primam Dignitatem promæreri valuit, peculiares Cordis nostri sollicitudines exhibere, ne dum illa quæ ad ipsius Splendorem, & magnitudinem, verum etiam quæ ad pietatis, & Religionis incrementum tendunt alacrius procuramus. Quamobrem ubi operam nostram efficacem agnoscimus, ne Hospitalitatis, & Charitatis Officia, quæ in Ecclesiis dictæ Urbis sub Dominio piorum Regum degentibus, ea quâ par est curâ, & Religione prestantur jam dudum illibata modo reddituum exiguitate defraudata remaneant, sed ferventius inantea persistant libenter impedimus, ac in his, ut pro ministrorum inibi sædulo famulatum præstantium manutentione adauctis commodis, & utilitatibus ad uberiorem æterni Numinis gloriam, divinique cultus augumentum congruum suscipiant relevamen, Pastoralis officii nostri partes favorabiliter interponimus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Sanè pro parte dilectorum filiorum Modernorum Gubernatorum, & Deputatorum Ecclesiæ, & Hospitalis Regii nuncupati Sancti Antonii Nationis Lusitanæ de Urbe Nobis nuper exhibita petitio continebat quod alias tunc existentes Gubernatores, & Deputati Ecclesiæ, & Hospitalis hujusmodi ob plurima, quibus præfata Ecclesia dictumque Hospitale subjacent gravamina, tàm pro Ecclesiæ, & Hospitalis præfatorum, quam ministrorum inibi, pro tempore inservientium respective manutentione, ac receptione Peregrinorum, & Infirmorum nationis præfatæ, stante deficientia reddituum Ecclesiæ, & Hospitalis hujusmodi eisdem oneribus, supportandis omnino imparium, coacti fuerunt grave es alienum contrahere in summa viginti quinque millium Scutorum monetæ romanæ, sub non modico interusurio, per eos quotannis persolvendo in maximum Ecclesiæ, & Hospitalis præfatorum præjudicium. Quapropter Moderni Gubernatores,

& Deputati Ecclesiæ, & Hospitalis præfati providè considerantes, quantum Eris alieni hujusmodi contractio tractu temporis Ecclesiæ, & Hospitali præfatis esse possit perniciosa, post habitum per eos maturum examen nullum aliud aptius remedium pro deveniendo ad præfati Eris alieni extinctionem Ecclesiæ, & hospitali hujusmodi adeo utilem, ac etiam fructuosam ejusdemquæ Ecclesiæ, & Hospitalis præfati manutentione, servanda reperire valuerunt, quam per impositionem alicujus mederate Taxe ut infra regulandæ super omnibus, & quibuscumque Gratiis, quæ tam per Litteras Apostolicas sub Plumbo, quam in forma Brevis sub Annulo Piscatoris per Datariam, & Cancellariam, seu Cameram Apostolicas ac Secretariam Brevium Apostolicorum, non tamèn Indulgentiarum, aliaque quæcumque Tribunalia, & Officia dictæ Vrbis, quovis modo expediuntur, & respective obtinèntur a Singulis Personis dictæ nationis aliorumque Regnorum, & Locorum sub Dominio pro tempore existentis Regis Portugalliæ, & Algarbiorum existentium, tam in Romana Curia presentibus, quam ab ea absentibus unica tantum vice, in actu expeditionis earumdem Gratiarum, etiam ut infra titulò Eleemosinæ persolvendæ, & per modernos, ac pro tempore existentes Gubernatores, & Deputatos Ecclesiæ, & Hospitalis hujusmodi seu ab eis deputatos vel deputandos similiter, ut infra eodem titulo exigendæ, in extinctionem tamen dicti Eris alieni, ac Ecclesiæ, & Hospitalis hujusmodi manutentionem, & divini Cultus augumentum non tamen in alios usus omninò convertendæ, & applicandæ. Quarè pro parte modernorum Gubernatorum, & Deputatorum Ecclesiæ, & Hospitalis hujusmodi Nobis fuit humiliter supplicatum, quatènus Ecclesiæ, & Hospitalis præfatorum indemnitati, ac Eris alieni hujusmodi exonerationi, & extinctioni, nec non Ecclesiæ, & Hospitalis præfatorum manutentioni, & divini cultus augumento in præmissis opportune consulere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur qui Ecclesiarnm quarumlibet, & præcipue in alma urbe nostra existentium utilitates, & commoda paternis, & sinceris desideramus affectibus, modernos Gubernatores, & Deputatos Ecclesiæ, & Hospitalis hujusmodi, & eorum quemlibet, specialibus favoribus, & gratiis prosequi volentes, & a quibusvis Excomunicationis, Suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis, a Jure, vel ab Homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum præsentium tantum consequendum;

dum, harum ſerie abſolventes, & abſolutos fore cenſentes hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, accedente etiam inſinuatione Chariſſimi in Chriſto Filii noſtri Joannis Portugalliæ, & Algarbiorum Regis illuſtris, eiſdem modernis ac Gubernatoribus, & Deputatis Eccleſiæ, & Hoſpitalis hujuſmodi pro tempore exiſtentibus, ut ipſi de cetero perpetuis futuris temporibus infraſcriptam taxam, titulo Eleemoſinæ Eccleſiæ, & Hoſpitali præfatis, ut præfertur applicandam unica tantum vice in actu cujuſcumque Expeditionis quarumlibet Gratiarum, quæ tam per Litteras Apoſtolicas ſub Plumbo, quam in forma Brevis ſub annulo Piſcatoris, per Datariam, & Cancellariam, ſeu Cameram Apoſtolicas, ac Secretariam Brevium Apoſtolicorum, non tamen Indulgentiarum, aliaque quecumque ejuſdem Urbis Tribunalia, & Officia quovis modo expediuntur, & reſpective obtinentur a quibuſvis Perſonis utriuſque ſexus tam Laicalibus, quam Eccleſiaſticis, Sæcularibus, & quorumvis Ordinum, & Militiarum Regularibus cujuſvis ſtatus gradus ordinis, & conditionis exiſtant, ac tam in dicta Curia præſentibus quam ab ea abſentibus ejuſdem Nationis Luſitanæ, aliorumque Regnorum, & Locorum ſub dominio pro tempore exiſtentis Regis Portugalliæ, & Algarbiorum exiſtentium, quæ tamen Taxa erit infraſcripto modo regulanda, videlicet — Primo-- Super fructibus cujuſvis Menſæ videlicet Patriarchalis Archiepiſcopalis, Epiſcopalis, & Abbatialis in Libris Cameræ Apoſtolicæ deſcriptis, ſeu taxatis ad rationem quatuor Ducatorum auri de Camera pro quolibet Centenario Taxæ hujuſmodi deſcriptæ, & ſi Taxa hujuſmodi Centenarium non attingat pro rata veniet perſolvenda-- Secundo-- Super fructibus cujuſcumque Dignitatis, etiam poſt Pontificalem majoris in Cathedrali, & Principalis in Collegiata, ac quorumcumque Canonicatuum, & Præbendarum, & cujuſvis Parochialis Eccleſiæ, vel illius perpetuæ Vicariæ, nec non quorumcumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum Sæcularium, & quorumvis Ordinum, & Militiarum Regularium, tam ſimplicium, quam reſidentalium, ſeu Curam animarum annexam habentium, & tam Juriſpatronatus Laicorum etiam Nobilium, & Illuſtrium, ac etiam mixti, vel nominationis Eccleſiaſticæ, ac etiam illorum Iuriſpatronatus Regii, que per Datariam Apoſtolicam favoræ cujuſcumque Perſonæ expediantur, tam certis, quam incertis, ac etiam diſtributionibus quotidianis, ad rationem quatuor ducatorum auri de Camera pro quolibet Centenario fructum expreſſorum, juxta ſtatum ejuſdem Datariæ, & pro rata ſimiliter

 ut

ut supra -- Tertio -- Super quacumque reservatione Pensionis annuæ quovis titulo reservatæ ad favorem cujusvis Personæ super fructibus tam certis, quam incertis supradictorum, vel aliorum Beneficiorum, & Officiorum Ecclesiasticorum quomodolibet nuncupatorum, ac etiam Mensarum Patriarchalis, Archiepiscopalium, Episcopalium, & Abbatialium, ut supra expressarum, ad rationem quatuor Ducatorum auri de Camera, quatenus reservatio facta esset in similibus ducatis, pro quolibet Centenario, & pariter pro rata ut supra, quatenus vero reservatio esset in scutis, vel alia moneta Regni Portugalliæ, tunc Taxa erit persolvenda ad rationem quatuor scutorum similis monetæ pro Centenario, exceptis tamen ac pœnitus, & omnino exemptis remanentibus a solut icne hujusmodi Taxæ illis Pensionibus quæ pro Persona seu Personis nominanda seu nominandis a Romano Pontifice pro tempore existente reservari solent in actu provisionis quorumcumque Beneficiorum per Datariam Apostolicam faciendæ, quæ Personæ omnino exemptæ, & immunes esse debent a tali solutione -- Quarto -- Super Dispensationibus Matrimonialibus cæterisque Gratiis quæ regulari non possunt habito respectu ad fructus, sicuti sunt materiæ Beneficiales, earum Taxa erit infrascripta videlicet. Pro omnibus Dispensationibus matrimonialius, tam majoris, quam minoris Gratiæ nuncupatis, Brevibus Commissionum, Dispensationibus super etate ad Sacros Ordines, Indultis de promovendo ad eosdem, Declaratoriis super falsa imputatione, & Rescriptis in forma significavit, cæterisque aliis Gratiis, quarum expensæ non excedent summam Quinquaginta scutorum monetæ Romanæ, solvendus erit Iulius unus tantum pro qualibet hujusmodi Gratia -- Quinto -- Pro Dispensationibus matrimonialibus, quarum expensę excederent summam dictorum quinquaginta scutorum monetę usque ad summam Centum Scutorum similium inclusive, earum Taxa erit unius scuti similis pro unaquaque earum. Si vero eædem expensæ excederent dictam summam Scutorum Centum monetæ usque ad quamcumquæ aliam summam, tunc, & eo casu Taxa regulari debeat ad rationem Scutorum Trium similium pro quolibet Centenario -- Sexto -- Eadem Taxa Scutorum quatuor pro quolibet Censenario locum habebit, & erit persolvenda in omnibus aliis possibilibus, & inexcogitabilibus Gratiis, quæ ab eisdem Personis superius expressis obtineri poterunt in Dataria præfata, prout sunt Prorogationes, Derogationes, Indulta, Confirmationes, tam Concordiæ, quam cujusvis alterius concessionis, vel Contractus, etiam perpetui, Erectiones,

Re-

Revalidationes, Reſtitutiones, Suppreſſiones, Applicationes. aliæquæ quævis Gratiæ, quæ tam per Litteras ſub Plumbo, quam in forma Brevis ſub annulo Piſcatoris vigore Apoſtolicæ expeditionis impetrari valeant, cùm hac tamen expreſſa diſtinctione, quod in illis Gratiis, in quibus quovis modo requiritur, & exprimitur annuus valor, tam certus, quam incertus ſupradicta Taxa Scutorum quatuor pro quolibet Centenario intelligi, & regulari debeat habito reſpectu ad annuum valorem, ſeu annuum redditum, non autem ad expenſas, quæ in illorum expeditione perſolvi debeant, prout è Converſo regulabitur Taxa in omnibus illis, in quarum expeditione non exprimitur annus valor, ſeu redditus ad rationem Scutorum quatuor pro quolibet Centenario perſolvendo in illarum expeditione, & habito ſimiliter reſpectu ad ſummam minorem infra Centenarium, ſicuti ſuperius enarratur, titulo dictæ Eleemoſinæ Eccleſiæ, & Hoſpitali hujuſmodi ut præfertur, & non in alios uſus applicande, exigere, & percipere, ac pro exactione, & perceptione hujuſmodi unum vel duo Receptores, ſeu Collectores in ſolidum per modernos, ac pro tempore exiſtentes Gubernatores, & Deputatos præfatos pro tempore eligendos nominare, & deputare libere, & licite poſſint, & valeant Apoſtolica auctoritate tenore præſentium perpetuo concedimus, & indulgemus. Præſentes quoque ſemper, & perpetuo validas, & efficaces eſſe, & fore ſuoſque plenarios, & integros effectus ſortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & ſingulis ad quos quomodolibet nunc ſpectat, & ſpectabit pro tempore in futurum, firmiter, & inviolabiliter obſervari, & adimpleri debere, nec ullo unquam tempore ex quocumque capite, vel qualibet Cauſa quantumvis juridica, & legitima, etiam ex eo quod quicumque in præmiſſis, & circa ea etiam quomodolibet, & ex quavis cauſa Jus, vel intereſſe habentes, aut habere prætendentes illis non conſenſerint, nec ad id vocati, citati, aut auditi fuerint, & cauſæ propter quas eedem præſentes emanaverint, adductæ, verificatæ, & juſtificatæ non fuerint de ſubreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vel invaliditatis vitio, ſeu intentionis noſtræ, vel Jus aut intereſſe habentium conſenſus, aut quolibet alio quantumvis ſubſtantiali, ſubſtantialiſſimo, & inexcogitato ac ſpecificam, & individuam mentionem, & expreſſionem requirente defectu, notari, impugnari, invalidari, retractari, in Jus aut controverſiam revocari, aut ad viam, & terminos Juris reduci vel adverſus illas reſtitutionis in integrum, aut aliud quodcumque Juris, vel facti, aut gratiæ remedium impetrari, ſeu etiam Motu proprio

prio

prio concesso, & impetrato uti, seu se juvare posse, neque ipsas præsentes sub quibusvis similium, vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, ac Sedem Apostolicam, etiam motu pari, etiam consistorialiter, ac alias sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusvis clausulis, & Decretis, etiam si de eisdem præsentibus, eorumque toto tenore, ac Data specialis mentio fiat, pro tempore factis, & concessis, ac faciendis, & concedendis comprehensas sed semper, & omnino ab illis exceptas, & quoties illæ emanabunt, toties in pristinum, & validissimum, ac eum in quo antea quomodolibet erant statum, restitutas, repositas, & plenariè reintegratas, ac de novo etiam sub quacumque porteriori Data per modernos, & pro tempore existentes Gubernatores, & Deputatos Ecclesiæ, & Hospitalis hujusmodi quandocumque eligenda concessas esse, & fore suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere. Sicque, & non alias in præmissis omnibus, & singulis per quoscumque Judices ordinarios, vel delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, Vicelegatos, dictæque Sedis Nuncios, ac quoslibet alios quavis auctoritate, potestate, prærogativa, & privilegio fungentes, ac honore, & præeminentia fulgentes, sublata eis, & eorum cuilibet qualibet aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate, judicari, & definiri debere; Et quidquid secus superhis a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum, & inane decernimus. Et insuper quatenus opus sit pro præmissorum observatione Venerabilibus Fratribus nostris Patriarchæ Ulixbonen ac Episcopo Pharaonen. ac Dilecto etiam Filio Causarum Curiæ Cameræ Apostolicæ Geneli Auditori per præsentes committimus, & mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut unus eorum, per se, vel alium, seu alios easdem præsentes, & in eis contenta quecumque ubi, & quandocumque opus fuerit, & quoties pro parte modernortm, & pro tempore existentium Gubernatorum, & Deputatorum Ecclesiæ, & Hospitalis hujusmodi, vel alterius eorum requisiti fuerint solenniter publicantes, & in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes faciant, auctoritate nostra easdem præsentes, & in eis contenta hujusmodi ab omnibus, & singulis ad quos spectat, & pro tempore spectabit inviolabilter observari, illisque pacifice frui, & gaudere non permittentes quempiam ex modernis, &

pro

pro te mpore existentibusGubernatoribus,& Deputatis Ecclesiæ, & Hospitalis hujusmodi desuper quomodolibet indebite molestari,Contradictores quoslibet, & Rebelles per sententias,censuras,& pænas Ecclesiasticas,aliaque opportuna Juris, & facti remedia,appellatione postposita,compescendo ac legitimis super his habendis, servatis processibus, servataque forma Concilii Tridentini sententias, cænsuras, & pænas hujusmodi incurrisse declarando, ac etiam iteratis vicibus aggravando, invocato etiam ad hoc si opus fuerit Brachii Sæcularis auxilio. Non obstantibus fel. record. Bonifacii PP. VIII. PrædecorisNostri,in qua cavetur expresse,ne quis extra suamCivitatem velDiœcesim,nisi in certis tunc expressis casibus, & in illis ultra unam Dietam a fine sue Diœcesis ad judicium evocetur,seu ne Judices a Sede Apostolica Deputati extra Civitatem,vel Diœcesim in quibusDeputati fuerint contra quoscumque procedere, aut alii, vel aliis suas vices committere audeant,vel præsumant,& in ConcilioGenerali edita de duabusDietis,dummodo tamen ultra tresDietas aliquis vigore earumdem præsentium ad judicium non trahatur;Et quatenus opus sit nostra,& Cancellarię Apostolicæ regula de Jure quæsito non tollendo,aliisqne Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ac Patriarchalis, aliarumque Ecclesiarum præfatarum, etiam juramento, confirmatione Apostolica,vel quavis firmitate alia roboratis statutis,& consuetudinibus,privilegiis quoque Indultis, & Litteris Apostolicis eis, & earum cuilibet illarumque Præsulibus,Capitulis, & Canonicis, & quibusvis aliis Superioribus, & Personis in genere vel in specie, aut alias in contrarium præmissorum forsan quomodolibet concessis confirmatis,& innovatis.Quibus omnibus,& singulis,etiam si pro illorum sufficienti derogatione alias de illis,eorumque totis tenoribus,specialis,specifica,expressa, & individua, ac de verbo ad verbum,non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expræssio habenda,aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, & forma in illis tradita observata, & inserti forent præsentibus pro plene, & sufficienter expressis habentes illis alias in suo robore permansuris,latissime, & plenissime,ac specialiter, & expresse,nec non opportune, & valide hac vice dumtaxat derogamus contrariis quibuscumque. Volumus autem quod earumdem pręsentiumTransumptis,seuExemplis,etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo Personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis,eadem ubique fides in Judicio, & extra adhibeatur, que eisdem præsentibus adhibere-

tur

tur si forent exhibitæ vel ostensę. Volumus etiam, quod Taxā præfata, respectu illarum Gratiarum, in quibus non exprimitur annuus valor, exigi debeat solummodo super expensis in Dataria, Cancellaria, seu Camera, aut Secretaria, aliisque Tribunalibus, & Officiis præfatis faciendis, ceteris aliis quibuscumque expensis, ratione expeditionis, Agentiæ, vel Cambii, aut alias penitus exclusis. Nulli ergo omnino Hominum liceat hanc paginam nostræ Absolutionis, perpetuę Concessionis, Indulti, Decreti, Commissionis Mandati, Derogationis, & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire; Si quis autem hoc attentare præsumpserit indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo septingentesimo trigesimo tertio. Nono Kalend. Decembris Pontificatus Nostri Anno Quarto.

Subscript xxx.
P. de Bernardinis.
A. Mavilius.

A. Menicotius.
J. M. Menicotius.

F. de Carconiis.

